

contingere non potest electa recitantibus. At illud modestius, et fortasse reverentius, sed hoc simplicius et amantius. Amat enim, qui se sic amari putat, ut taedium non pertimescat. Alioqui quid praestant sodales, si conveniunt voluptatis suae caussa? Delicatus ac similis ignoto est, qui amici librum bonum mavult audire, quam facere. Non dubito, cupere te, pro cetera mei caritate, quam maturissime legere hunc adhuc musteum librum. Leges, sed retractatum; quae caussa recitandi fuit; et tamen nonnulla jam ex eo nosti. Haec vel emendata postea, vel (quod interdum longiore mora solet) deteriora facta, quasi nova rursus, et rescripta, cognosces. Nam, plerisque mutatis, ea quoque mutata videntur, quae manent. Vale.

#### XV. PLINIUS GEMINIO SUO S.

«Exemplo nonnullius, quem reticet, illos reprehendit, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt.»

Nostine hos, qui omnium libidinum servi sic aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant; et gravissime puniunt, quos maxime imitantur? quum eos etiam, qui non indigent clementia ullius, nihil magis quam lenitas deceat. Atqui ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles simus: exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt; mandemusque memoriae, quod vir mitissimus, et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere solebat; *qui vitia odit, homines odit*. Fortasse quaeris, quo commotus haec scribam? Quidam nuper. Sed melius coram; quamquam de tunc quidem. Vereor enim, ne id, quod improbo, insectari, carpere, referre, huic, quod cum maxime praecipimus, repugnet. Quisquis ille, qualiscunque, sileatur; quem insig-